



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119177**

§. 86. Turbæ intestinæ in Galliis continuatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

datione populi offensionem reparaf- Sæc. XVII.  
sent. A. C. 1650.

## §. LXXXVI.

*Turbæ intestinæ in Galliis con-  
tinuatæ.*

**P**ax Regnam inter & Parlamentum sancita, sicut maris malacia turbulentiore præfagit tempestatem, ita & in Galliis diuturnioris acerbiorisque mali augurium esse videbatur; cum enim Fundibularii imo ipsa Regina malevolorum susurris delusa Condæum Principem optime meritum, ejusque Fratrem Contium Principem & Longevillanum Ducem captivos ad Vincennensem custodiam abduci jussisset, eadem die Parisiensis populus per universam urbem festivos accendebat ignes, applaudente Bellefortio Duce, & potissimum Radefio Parisiensis Archiepiscopi Coadjutore, quide Condæo Principe ultionem læsi honoris sumpfisse sibi gratulabatur: Interea tamen Longevillani Ducis Conjux Normanos, incassum licet ad vindictam stimulabat, nec magis prospero successu Burgundi, Andegavenses & Pictavienses Principum libertatem urgebant. Potentius Aquitani a Bullionio Duce animati, necnon Condææ Matris & Anguinii  
ejus

*La Hode  
Hist. de  
Louis XIV.  
lib. 10.  
Mottevill.  
t. 3. p. 366.*

Sæc. XVII. A. C. 1650. ejus Filii lacrimis commoti, Condæi  
 Conjugem velut in triumphum ad Burdegalem urbem conducebant, ac Hispano ære tria peditum millia, & octingentos Equites conscribebant, captivorum libertatem armis extorsuri. Ad componendas hæc turbas ipsemet Rex cum copioso milite advolat, & Burdegalensibus primo pacem offert, resistentibus vero extremam vim minitatur: His vero cunctas condiciones respuentibus Rex Burdegalam cingere statuit: Accersitur ad hanc obsidionem Melleræus Marefcallus, cui in expugnandis urbibus ætas illa parem non habuit: sive autem hic Bellidux cunctantius rem ageret, & fors cum obfessis conspiraret, sive cives, militesque præfidiarii ultra spem & vires urbem, ac Condæam rem generosius defenderent, obsidio tam lento tamque improspere procedebat successu, ut unius suburbii expugnatio octingentorum sanguine constaret, & decimo tertio oppugnationis die haud amplius, quam primo actum videretur. Evanescente igitur capiendæ urbis spe, & Parisiensi insuper Parlamento Burdegalensibus suffragante, Regina tam honestas pacis condiciones obtulit, ut etiam jurati hostes desiperent, ni eas acceptarent; præcipue enim Burdegalensibus

lensibus concessa est præteritorum ob-  
 livio, Condæ autem, ejusque filio Sæc. XVII.  
A. C. 1650.  
 sese Muronium recipiendi potestas: fa-  
 ctaque Principibus captivis gratiæ li-  
 bertatisque spes. Ad tantam vero in-  
 dulgentiam Regina flectebatur victoriis  
 Hispanorum; hi enim intestinis Galliæ  
 tumultibus freti, in Picardiæ finibus  
 Capellam, Musomum, Castelletum, Po-  
 pulonium, & Portum - Longum in  
 Illua Insula, quæ urbes olim Gallis multo  
 sanguine steterant, exiguo temporis  
 spatio expugnarunt: His malis accessit  
 quoque defectio Turrenii Marescalli,  
 qui, postquam incassum Principes libe-  
 ros dimitti efflagitaverat, eorum liber-  
 tatem armatis precibus exorans, ad  
 Leopoldi castra cum suis copiis transiit,  
 ac Rethelium urbem a Regiis obsessam  
 liberare statuit, infausto licet successu;  
 victus enim a Mazarino, ejusque Du-  
 ctoribus, cæsis suorum bis millibus au-  
 fugere coactus est. Nihilominus Hi-  
 spanis in Campaniam irrumperentibus,  
 ipse tria Equitum millia Vicennas emi-  
 sit, Principes a sua custodia erepturus:  
 Re autem mature detecta capti ex ca-  
 stro Vicennarum, Marcusium primo,  
 deinde in arcem Portus gratiæ trans-  
 lati sunt, frustra obsistentibus Turre-  
 nio, & Nemorsio Duce: inde vero  
 Condæi Mater tam intimo doloris sensu

*Hist. Eccles. Tom. LXI. X x affi-*

Sæc. XVII. afficiebatur, ut die secunda Decembris  
A. C. 1650 anno ætatis quinquagesimo septimo  
 decederet.

## §. LXXXVII.

*Anni Sacri festivitas Romæ celebrata.*

Postquam Innocentius X. Pontifex Maximus jam anno priori missis in omnes Christiani Orbis partes Literis Apostolicis Catholicos ad celebrandam anni Sacri solemnitatem Romam invitaverat, hoc anno tam ingens Principum, Nobilium, omnisque conditionis hominum concursus erat, ut ad victum necessaria, etsi ingenti copia undique adveherentur, vix non deficerent, simulque pro alendis pauperibus Romam peregrinantibus, exhausto Nosocomiorum ærario æs alienum contrahere, necesse esset: unde patet, quam insulsa, mendaxque sit hæreticorum calumnia, qua Pontifices duntaxat ad locupletandam urbem, corradendasque divitias Jubilæa Romana excogitasse comminiscuntur. Quoniam vero adhucdum inter Hispaniæ & Franciæ Reges bellum magno utrinque furore agitabatur, hinc Pontifex, atque Italiæ Principes sedulo prospexerant, ut tutum, commodumque iter peregrinanti-